Ita doctrinæ fama non marcescit neq; senescit. Quocunq; n. oculos vertas tu-
os, quocunq; dirigas, literarum domicilia, Sapientiæ semina, omniumq; Scientia-
publicos Mercatus aspicies Academias atq; Universitates, aspicies studiis pi-
etateq; florentia Gymnasia, Ecclesiæ plantaria, Sapientiæ Seminaria,
virtutum, artium et morum officinas, Scholas aspicies. Quæritis Musæ,
cur hæc nostra Germania præ cæteris hac nobilitata gloria se usq; adeo ex-
tollat, imo stellis inferat? Quid quæritis? Germana tellus edidit viros,
qui, licet tyrio splenduerint ostro, licet regali murice tincti thronos suos
in altum posuerint, vixerint nihilominus literarum Patroni, Columnæ
bonarum artium. Etenim, non dubitarunt maximos erogare sumptus, quo
saltem studia perpetuo flore virerent, deq; indies incrementa sua caperent;
non dubitarunt liberalia inopia varia pressis concedere hospitia, aliisq;
illos augere muneribus, quo et ipsi ac alii divitiis referti melioq; sub si-
dere nati ætatem juvenilem ad humanitatem possent informare. O cha-
ra capita, digna ut fama vestra nullis subjecta fortunæ ictibus, nun-
quam moriatur, sed in æternæ Mnemosynes fanum deponatur. Alit
præterea Germania viros profunde doctos, qui veræ animatæ bibliothe-
cæ seu viva Musæa dicendi, et velut ex professo de omnibus quam
promptissime respondere et inexplicabiles Scientiæ nodos, tanquam ex
secretiori Musarum adito omnia depromentes, dissolvere possunt. Nulli
insuper parcunt operæ, quo pectora juvenilia dictis ac præceptis formen-
tur, vitiorumq; vallem relinquentes ad veræ et solidæ doctrinæ cul-
men transcendere possint. Hæc causa, quod Teutonia cælum humoris feri-
sedesq; ac habitacula politiori literaturæ præbeat largissima. Verum
cum mens mea respiciat præterita tempora, eaq; sibi in memoriam re-
vocat, centuplici dolore se sentit circumseptam. Hæc sine prægnanti
causa: Illa n. jam memoratæ sedes ac hospitia liberalium artium,
quæ Germania nostra fovit et adhuc fovet, non multis abhinc annis
per sex et plura lustra nefandis Martis cædibus polluta, imo in
cineres et favillas fuerunt dissoluta. Ubi antea dulcisoni Musa-
rum cantus plectraq; sonuerunt, ibi ad illud usq; tempus qui-
ritatus, ejulatus, pugnantium fremitus ac strepitus, bellicarumq;
machinarum tonitrua atq; fragores auditi fuerunt. O miserrimum
statum! accedebat quod tellus ad insultantium minas morientium
gemitus extimescebat, exhorrescebat. Cui igitur non esset persvo-